

CAPUT V.

*De misericordia spirituali, seu fraterna
correctione.*

26. Præmitto 1. legem charitatis obligare nos, ut proximo subveniamus spiritualiter indigenti, cum necessitas animæ præferenda sit corporum necessitatibus. 2. inter opera misericordiæ spiritualis certe numerari correctionem fraternam, quæ est admonitio, qua quis alium conatur revocare a peccato. Quæ in eo differt a correctione judiciali, quod ista fit auctoritate publica, & ordinatur ad bonum commune potius, quam ad emendationem delinquentis, estque actus justitiæ vindicativæ. Differt etiam a paterna correctione, quæ fit auctoritate Superioris, nec solum ad bonum delinquentis, sed etiam ad bonum commune ordinatur. 3. Correctionis fraternæ extare præceptum cum naturale, tum Divinum positivum. Naturale quidem, ortum ex lege naturali charitatis, quæ nos obligat ad subveniendum proximo indigenti; divinum autem ea lege Evang. Matt. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Et ex Eccl. 19. *Corripe proximum, ne forte iteret.* Et 2. ad Thess. 3. *Corripe ut fratrem.* His præmissis.

27. *Quæst. 1.* Quanam sit materia correctionis fraternæ? R. 1. Omnis culpa mortalis, cum sit malum gravissimum proximi, ita ut obliget per se sub mortali, si fieri correctio possit sine gravi incommodo, & cum spe fructus

R. 2. etiam culpa venialis est materia fraternæ correctionis; nam peccatum veniale est verum animæ malum, & quidem in se grave, licet sit leve respectu mortalis. Sed hæc obligatio est solum sub veniali ob materiæ levitatem, nisi ex eo grave malum prudenter timeatur. Itaque Prælati Ordinis religiosi tenentur quandoque sub mortali corrigere leves subditorum culpas, ne vigor disciplinæ sensim relaxetur cum gravi Communitatis detrimento. Ita Layman, Tournelius, alii.

28. *Quæst. 2.* Siue obligatio corrigendi peccata, orta ex ignorantia? De ignorantia quidem culpabili nulla est dubitatio, cum ea non excuset a peccato. Si ignorantia sit invincibilis juris naturalis, qui cum illa agit, corripendus est; quia peccata, orta ex ea ignorantia, sunt intrinsicè mala, & ideo si absque gravi incommodo liceat, tenemur ea impedire. Idem dico de peccante ex ignorantia juris Divini, qui, si speretur fructus, admonendus est, ne faciat id quod legi Divinæ contrarium est, atque ita videtur exigere reverentia debita Divinæ legi. Quod si peccatum oriatur ex ignorantia invincibili juris positivi, multi docent, nullam esse privatis obligationem, aut saltem non esse gravem correctionis fraternæ; secus vero Prælati, Confessoribus, Magistris, Parentibus, quibus munus incumbit speciale docendi subditos. Ita Salmant. cum Bannez, Ledesma, Navarro, & aliis. Ratio illis est, tum quia proximus non versatur in peccato, quo deficiente, deest quoque materia correctionis; tum quia nihil agit, quod intrinsicè pravum sit.

29. Veruntamen contraria sententia communior est, & probabilior, cui adhærent Sanchez, Paláus, Croix, Mazzota, & alii. Nam ea transgressio, licet materialis, nec intrinsece mala, atamen posita lege prohibente, mala est, ideoque tenemur impedire, si per correptionem commode possimus. 2. quia ignorantia hujusmodi est grave malum, & varia incommoda affere potest, & sæpe affert, ut scandalum, pravum habitum, & periculum postea peccati formalis: ergo est obligatio charitatis illud impedire, si facile possis. Non tamen ita striete obligat, ut aliquando vel ex timore, vel ex verecundia orta omissio sit lethale, sed tantum veniale. Ubi nota doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 33. art. ad 31. *Hujusmodi omissio est peccatum veniale; quando timor, vel cupiditas tardiolem facit hominem ad corrigendum: non tamen ita, quod si ei constaret, quod fratrem passet a peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem omitteret, quibus in animo suo præponit charitatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes.*

29. *Quæst. 3.* Quando nos obligat hoc præceptum? R. cum sequentes concurrant conditiones: I. ut certo tibi constet de peccato proximi, vel de proximo periculo peccandi; indagare enim solus teneris Superior. Itaque si noticia sit dubia, vel sola sit suspicio de peccato, non teneris corripere, nisi suspicio sit de homicidio, aut de communi damno, vel sis Prælatus, cui ex officio incumbit, peccata subditorum inquirere. II. si spes sit probabilis emen-

ditionis, & fructus, quia elemosyna non nisi indigenti est facienda. Quod si periculum adest, ut frater non emendatus iterum in culpam gravem labatur, tenemur ralapsum impedire, si commode liceat, & fructus speretur, ut docet communis opinio TT. contra aliquos. Et est ratio, quia frater in peccato constitutus gravem patitur necessitatem, a qua teneris illum, si potes, eripere, secundum illud Eccl. 20. *Corripe proximum ne forte iteret.* III. *Conditio:* ut non sit alius æque, vel magis idoneus, qui correpturus puteur. Unde si superior adsit, vel alius, cui corrigere incumbat, non teneris corrigere. IV. ut non constet, se ipsum emendasse, vel emendarum, nisi corrigatur. Denique ut correptio fiat tempore opportuno; non enim statim teneris adhibere correptionem, sed cum profutura creditur, idque sine tuo gravi incommodo.

30. *Quæst. 4.* Quosnam obligat correctionis præceptum? R. omnes quidem obligat etiam subditos, maxime autem Prælatos. Ratio prioris est, quia omnes sunt membra ejusdem corporis, adeoque sibi invicem præstare debent officia charitatis. Atque ad omnes dirigitur lex evangelica: *Si peccaverit in te*, cet. Ratio posterioris est, quia subditi ex charitate, Prælati ex justitia ad id tenentur. Unde ad correptionem strictius obligantur omnes Prælati, Parentes, Magistri, Tutores, & Curatores. Et quidem Episcopi, & Parochi, tum ex officio, tum ex stipendio, quod exigunt, debent subditis etiam cum proprio vitæ periculo subvenire, ex illo Joan.

10. *Bonus pastor animam dat pro ovibus suis*, ut Christus verbo docuit, & suo exemplo confirmavit. Ita cum D. Th. omnes TT. Utrum autem ad id teneantur cum magno sui detrimento Parentes, conjuges, Confessarii, & alii, qui nullum ad id stipendium recipiunt? Affirmant aliqui, cum id muneris eis ex officio incumbat, proindeque ex iustitia potius, quam ex mera charitate. Negant alii multi, quia officium huiusmodi ortum habet ex obligatione pietatis, & charitatis, quod non videtur cogere ex iustitia ad tantum oneris, ut certe cogit pastores, & alios, qui stipendium exinde percipiunt. Salmanticenses addunt, Concionatores teneri, publica peccata reprehendere, etiamsi damna privata timeantur. Hoc tamen intelligendum, si ex reprehensione fructus speretur, & majus damnum commune non timeatur.

31. *Quest. 5.* Quisnam ordo in fraterna correptione servandus est? R. is, qui a Christo præscribitur *Matth. 18.* scilicet 1. ut corripias privatim; deinde coram testibus; tum ad Prælatum Ecclesiæ, sive ad Superiorem deferas. Ecce tamen 1. nisi præstet, Superiori viro probò & prudenti, quam aliis testibus innotescere, ut cautum est in *Reg. S. Aug. II.* nisi peccatum sit publicum, tunc enim potest publice corrigi. III. nisi vergat in publicum damnum communis, ut proditio, hæresis, cet. nec certa spes sit, ut damnum impediatur per privatam admonitionem. Ita S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 7. Item nisi grave detrimentum proximi sequeretur ex ommissa denuntiatione ad Superiorem. S. Thomas

ibidem, qui addit, nisi forte aliquis firmiter existimat, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire. IV. quando proximus cessit juri, quod habet, ut privatim admo- neatur, ut est in more apud quosdam Regulares, qui sua sponte consentiunt, ut delicta sua ad Superiorem, tanquam ad Patrem denuntientur, ob majorem animæ suæ profectum.

32. Ex dictis colliges 1. peccare graviter eos, qui delictum grave subditi, perfecte emendatum, ubi non sit periculum relapsus, denuntiant Superiori. 2. qui non servant ordinem præscriptum charitatis, sine gravi causa. 3. Superiorem immediatum, qui cum per se ipsum possit subditorum culpas corrigere, & emendare, ad mediatos deferat Superioris.

CAPUT VI.

De scandalo.

33. Scandalum generatim est duplex, *activum*, & *passivum*. *Activum* est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Ita S. Th. 2. 2. q. 43. a. 1. Hoc nomine comprehenditur etiam omissio externa alicujus boni, ex qua proximi oriatur peccatum. Dicitur *minus rectum*, hoc est, quod vel in se malum sit, ut si loquaris turpia coram adolescente; vel mali speciem habeat, ut si iusta de causa, coram aliis eam ignorantibus, carnes edas die prohibito. Unde illud ad *Thessal. 2. c. 5. ab omni specie malæ abstinete vos*. Scandalum

passivum est ipsa ruina, seu peccatum proximi ex occasione alterius dicti, vel facti. Jam vero *activum* scandalum aut *directum* est, aut *indirectum* primum est, cum quis alium directe inducit ad peccandum, ut si adulter alienam sollicitet ad adulterium; secundum, cum aliquid facis, ex quo prudenter timere possis, alium esse inducendum ad peccatum, licet id non facias eo animo, ut alium inducas: sic indirecte peccat scandalum, qui domi suæ mulierem suspectam alit, quamvis absit omne peccatum, & peccandi periculum. Scandalum quoque *passivum* est duplex: aliud dicitur *datum*, seu *pusillorum* quod oritur ex ignorantia, vel infirmitate peccantis; & *acceptum*, seu *pharisaicum*, quod oritur ex malitia peccantis: tale fuit odium, & invidia pharisæorum in Christum, propter sermones ipsius, & miracula.

34. *Quæst. 1.* An, & quale peccatum sit scandalum? R. 1. directe inducens alium ad peccatum, committit speciale peccatum contra charitatem. Ita TT. omnes cum S. Thoma; nam si lex charitatis obligat ad impediendam ruinam spiritualem proximi, quanto magis nos obligat, ne proximo ruinam inferamus. Atque hic notandum, eum dici, alium directe inducere in peccatum, non solum, qui formaliter intendit, ut alter peccet, & pereat, ut facit Dæmon, sed quicumque alium ad malum impellit, etiam ob utilitatem propriam, & ut propriæ cupiditati satisfaciatur: sic dicitur *activum*, & *directum* scandalum perpetrare, qui ex affectione concupiscentiæ mulierem ad fornicandum impellit.

35. R. 2. Talis inductio directa duplicem habet malitiam, alteram contra charitatem, alteram contra eam virtutem, cujus violatio intenditur. Pars prior ex dictis constat; 2. probatur, quia præceptum virtutis cujuslibet prohibet quoque actiones ipsi contrarias, atque adeo prohibet, ne detur occasio, inducens ad peccandum; tunc enim occasio est causa moralis peccati contra illam virtutem. Hinc circumstantia inductio nis ad peccandum, v. g. ad fornicationem est nominatim in confessione explicanda ex communi sententia, cum sit peccatum contra charitatem, specie distinctum a peccato fornicationis. Ita Sanchez, Palaus, Suarez, & alii contra Lugo Vazq. Leandrum, cet.

36. *Quæst. 2.* An qui *indirecte* dat scandalum proximo, aliquid agens, ex quo alter ad peccandum inducatur, committat speciale peccatum contra charitatem? R. eum graviter peccare, licet directe non intendat alterius peccatum, extra controversiam est. Negant tamen multi, illud esse speciale peccatum contra charitatem, sed solum contra virtutem, quæ læditur. Contraria tamen sententia, cui subscribimus, probabilior est, & communior cum Soto, Suarez, Lugo, eamque docet expresse D. Th. 2. 2. q. 43. ar. 1. ad 4. his verbis: *quando aliquis suo malo facto, vel verbo intendit, alium ad peccatum inducere, vel etiamsi ipse non intendat, ipsum factum est inductivum ad peccatum; tunc ille dat occasionem ruinæ, unde vocatur scandalum activum.* Neque enim opus est ad peccatum contra charitatem, ut quis expresse intendat læ-

dere charitatem, sed satis est ponere actionem, contrariam charitati; qualis est actio ex qua prudenter timetur ruina spiritualis proximi: sic qui inimicum occidit in Ecclesia, peccat contra Religionem, quamvis expresse non intendat Religionem violare. Certe in Evang. scandalum in genere reprehenditur, tanquam inimicum charitati: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Matth. 28. Et Paulus ad Rom. XIV. 15. *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulat.* Et 1. ad Corint. 8. *si autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Ubi reprehenditur scandalum indirectum eorum, qui carnes immolatas edebant coram infirmis, falso putantibus, id esse prohibitum.

37. *Quest. 3.* An indirecte præbens scandalum, non solum peccet contra charitatem, sed etiam contra virtutem illam, ad quam lædendam alium inducit, licet indirecte? R. affirmat. cum communi sententia, ex eadem ratione, qua de scandalo directo dictum est; scilicet, quia ita operans est occasio suo exemplo, ut proximus peccet contra talem virtutem, proindeque ipsius violatio ei quoque tribuitur, tamquam causæ morali. Itaque is, qui scandalo est aliis, debet confiteri speciem peccati mortalis, ad quod alterum induxit: debet quoque explicare numerum eorum, qui vel inducti sunt, vel probabiliter induci potuerunt ad peccandum.

38. Ex dictis colliges 1. is, qui aut verbo, aut exemplo alios inducit ad peccatum grave, graviter peccat; qui ad leve, leviter tantum. 2.

ad scandalum activum non opus est, ut alter re ipsa peccet, sed satis est, ut data sit occasio peccandi; ut si quis inducit alium ad malum, qui tamen non consentiat; aut agat aliquid, ex se ad malum inducens, licet alter ex accidenti non incidat in peccatum. 3. actio ex se indifferens, aut venialis potest esse grave peccatum scandali, quando habet speciem gravis mali, aut fit coram illis, qui, attentis circumstantiis, possunt exinde trahi in lethale peccatum. Sic ingrediens frequenter domum alii suspectam, licet ex fine alioqui bono ingrediatur, aliis est occasio scandali. Sic Religiosus, jocosum verbum proferens coram puellis, quæ inde occasionem peccandi graviter possint arripere, graviter peccat. 4. qui suo exemplo inducit alios ad furandum, licet alio modo non sit cum eis cooperatus, duplici peccato peccat, peccato scilicet furti, & scandali. Eum tamen non teneri ad restitutionem docent Molina, Salmant. Roncaglia, & alii multi, quia ad obligationem restituendi requiritur directus, & positivus influxus ad furandum.

39. *Quest. 4.* An sit peccatum scandali, petere ab alio, vel suadere id, quod non præstabit sine peccato, modo sit jam ille paratus ad peccandum? R. 1. si res fit ex se mala, nec fieri sine peccato possit, non potest illa peti, aut suaderi sine scandalo, licet alter paratus sit ad peccandum. Unde peccatum est scandali, petere a meretrice fornicationem. Ita Sanchez, Navarrus, Tamburinus, & alii, quia licet meretrix sit in actuali voluntate peccandi, certe majorem sibi ruinam spiritualem infert, opere complendo

illud particulare peccatum. Is ergo qui inducit illam ad consummationem illius peccati, non modo peccat contra castitatem sed etiam contra charitatem, quæ nos obligat ad cavendum grave malum proximi, dum liceat sine gravi incommodo. Nihilominus contraria sententia multis, iisque gravibus arridet Doctoribus.

40. R. 2. Si res non sit ex se mala, & possit fieri absque peccato, sed prævideatur proximus peccaturus, non licet absque causa, rem illam petere, aut persuadere. Unde petens sine causa rationabili mutuam ab usurario, juramentum a perjuro, Sacramentum a Sacerdote peccatore, committit peccatum contra charitatem. Ita Suarez, Valentia, Molina, & alii TT. tum antiqui, tum RR. contra alios. Ratio nobis est. 1. quia est causa moralis, ut proximus patiat grave damnum spirituale. 2. quia cooperatur peccato alterius. 3. quia non vitat, cum possit, proximi culpam gravem, quemadmodum ex charitate obligatur, quoties id possit sine suo incommodo. Sed dicunt Adversarii: cum usurarius, v. g. & Sacerdos jam habeant voluntatem peccandi, non inferes ipsi grave damnum, si proponas illis occasionem, qua exequantur peccatum præter mentem tuam; ea enim anticipatio operis externi tantum accidentario variat illorum peccatum, cujus malitia non augetur per opus externum secundum doctrinam D. Thomæ.

41. Hæc tamen ratio non obstat, quicquid enim sit de sententia affirmante, actionem externam non augere malitiam peccati interni; practice tamen loquendo, peccatum externum

gravius est peccato mere interno, eo quod requirat in voluntate majorem conatum, complacentiam, intensionem, ut in actionem externam erumpat. Ita notat Estius, Habertus, & alii. Proinde qui petit sine justa causa id, quod scit, faciendum non esse sine culpa externa, cooperatur peccato gravi, & agit contra charitatem. Dixi *sine justa causa*; cum enim est aliqua ratio gravis petendi petens omnino excusatur, ut docet D. Thomas cum S. Aug. & communis est opinio TT. id non tam est cooperari actioni malæ alterius, quam illam permittere, quod justis de causis licitum est. Itaque ob necessitatem, vel magnam utilitatem licet mutuam petere ab usurario, ab infideli juramentum per falsos Deos a Sacerdote nequam administrationem Sacramentorum, cet.

42. *Quest. 5.* An aliquando teneamur omittere bona spiritualia ad vitandum scandalum proximi? R. 1. cum S. Thoma 2. 2. q. 43. art. 2. aliquando tenemur differe bona spiritualia, non necessaria ad salutem, ob scandalum pusillorum, v. g. ingressum Religionis ob scandalum propinquorum, si illorum consensus brevi speratur. Imo & omnino omittere opera bona quæ sunt solum consilii ad vitandum, scandalum ortum ex infirmitate, vel ignorantia, quia impedire peccatum proximi est actus magis apud Deum meritorius, quam aliud opus bonum, minime necessarium. Sæpe autem oportet, reddere rationem boni operis, ut alter deponat ignorantiam. Quod si nolit, scandalum ipsi imputabitur, eritque pharisaicum, propter quod bonum opus non debet omitti juxta illud Matth. 15. *Sinite*

illos, cæci sunt. cet. sicut Christus cum publicanis comedere non destitit, licet inde scandalum paterentur Pharisei; cum non sit æquum, ut ob malitiam cujuscumque bonum spirituale deseratur.

43. R. 2. Bonum spirituale, quod necessarium est ad salutem nec debet, nec potest aliquoquam prætermitti ob alterius scandalum; ordo enim charitatis postulat, ut prius consulatur saluti propriæ, quam alienæ. Hinc ea præcepta, quæ omitti nequeunt absque peccato, nunquam prætermittenda sunt ad vitandum scandalum, sive sit pharisaicum, sive pusillorum. Hujusmodi sunt præcepta fidei, & sacramentorum, quæ sunt necessaria ad salutem, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 43. art. 7. Idem dico de præceptis naturalibus in iis circumstantiis, in quibus res præcipitur; omissio enim rei a Deo tunc præceptæ est. intrinsicè mala. Et quamvis dicunt, posse aliquando omitti præcepta naturalia, affirmantia, v. g. corrigendi peccatores, puniendi reos, quando majus malum timetur, quam speratur fructus; melius tamen dices cum aliis, præcepta in ea hypothesi, & similibus non obligare, sed omnino cessare.

44. *Quest. 6.* An ad vitandum scandalum possint omitti præcepta positiva? Certum est, ea non posse omitti ad vitandum scandalum pharisaicum, quia tunc potius daretur cuiquam occasio, ut bonum per malitiam impediret. Quod attinet ad scandalum pusillorum, sunt qui censent, neque ad illud impediendum omittenda esse præcepta positiva, quia illa non cessant o-

bligare, cum scandalum non est datum, sed acceptum; magis enim obstringit obligatio implendi præceptum tibi injunctum, quam vitandi omissionem præcepti, alteri impositi. Ita Navarrus, Vazq. La-Croix, Tambur. Sed contraria sententia est mihi quidem probabilior, quia præceptum de vitando scandalo, cum sit naturale, præferendum est præcepto positivo. Hinc uxor semel, aut iterum omittere debet jejunium præceptum, ex quo maritus graviter irascetur. Mulier potest, ac debet aliquando abstinere a sacro, si sciat, sese occasionem alteri daturam sui conspectu, ut scandalum ex infirmitate patiat. Notant tamen Layman, & Tournelyus, id non nisi una, vel altera vice obligare; nimis enim durum esset, & grave, ad id sæpe, ac frequenter obligari.

45. Quid vero si agatur de re non præcepta, peccatne graviter puella, conspiciendam se præbens viro, scandalum passuro? Affirmat Navarrus, Azor, Sanchez, Busemb. cum S. Antonino; quando illa sese offert, nullam aliam habens causam rationalem puta eundi ad Ecclesiam, invisendi amicas, cet. Negant alii probabiliter; cum ex una parte scandalum non sit datum, sed acceptum ex malitia viri; ex altera vero res esset valde incommoda feminæ, & scrupulis obnoxia. Sed eam a mortali cum Palao non excuso, si ipsa ex vanitate ducta, data opera ejus viri aspectui se offerat, licet ejus scandalum non intendat. Multo minus si petat aliquem locum; quod non adiret, nisi sciret, ibi amasium adesse. Hinc recte docent

AA. teneri mulierem sub gravi, scandalum viri cavere, si possit commode aliam Ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra recedere & similia. Hoc tamen non est intelligendum ad longum tempus, sed una, vel altera vice, & respectu unius personæ particularis, non respectu multitudinis in genere.

46. Ex dictis colliges, peccare graviter feminas, quæ se ita immoderato cultu ornant, ut alios ad libidinem provocent, fucando vultum, denudando pectus; hic enim ornatus superfluus est, & adolescentibus præbet occasionem ruinæ, & scandali. Non tamen erit peccatum in femina, modeste sese ornare, ut placeat viro, modo non sit periculum scandali in aliqua persona particulari. Sunt qui a gravi culpa excusant mulieres, quæ ornatu superfluo utuntur solum ex jactantia quadam, & vanitate, modo non intendant, alios ad libidinem provocare. Atque in hac sententia videtur fuisse S. Thomas 2. 2. q. 160. art. 2. Quamvis autem non desint TT. qui consuetudinem denudandi pectoris in femina excusent a mortali, ubi patrius mos permittit; eam tamen corruptelam vocaverim cum SS. PP. qui uno ore proximam illam vituperant, ac detestantur.

47. Sunt etiam rei gravis peccati, qui imagines nudas pingunt, vel palam exponunt, qui cantilenas obscenas componunt, vel publice canunt; qui coram aliis immodeste saltant, vel repræsentant. Nam hi omnes sunt aliis offendiculo, præsertim juventuti. Est quoque peccatum scandali, laudare aliquem de peccato com-

misso, aut reprehendere, quod non commiserit; quod quidem erit gravis, aut levis culpa pro qualitate rei, quæ laudatur, aut reprehenditur.

48. *Quest.* Ultima: an liceat suadere minus malum ad majus malum evitandum? 1. sententia negat cum Cayman, Azor, & aliis, quia re vera ita persuadens, malum persuadet, eique positive cooperatur, quod intrinsece malum est. Affirmant alii, quando alter determinatus est ad majus, malum exequendum, quia tunc suadens non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. Hinc docent, parato aliquem occidere, licitum esse persuadere, ut furetur ab eo, vel fornicetur. Probant autem ex S. Aug. in c. *si quod verius* 33. q. 1. ubi ait: *Si enim facturus est, quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium: & vivente uxore sua, alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat.* Quæ verba non tam de permissione, quam de persuasione a S. D. dicta videntur.

Profecto permitti aliquando potest proximi ruina, ut impediatur majus malum, non auferendo occasionem peccati. Sic licet parentibus non auferre occasionem furandi famulis, aut filiis, ad id jam paratis, ut in scelere manifesto deprehensi melius corrigantur. Sic D. Thomas in 4. p. 2. dist. 55. q. un. a. 3. ad. 4. ait: *quandoque vir uxorem suspectam habens, ei insidiatur, & deprehendere eam postest cum testibus in crimine fornicationis; & sic potest ad accusationem procedere.*